

Superioribus tuis propterea non respondi, quod Xenophontem meum demum perpo-  
litum ad te perferendum primo nuntio dare statueram. nunc quum alteras  
abs te acciperim, deque nonnullis admoneri me prudenter et amice videam:  
inhibito nonnihil consilij prioris quasi cursu, meum exemplar apud me tam-  
diu retinebo, dum et Camerarianam et Venetam interpretationem nardijac  
nanciscar: quarum illam heic apud me non habeo, alteram varijs auctam  
lectionibus, ut scribis, nunquam adhuc vidi. Optarem utramque mihi abs te  
mitti, ne dum longius arcesso, quod e propinquo consequi licet, expectationem  
commodaque tua remover. Cupio quidem certe Xenophonteam <sup>sanct</sup> lucubrationem  
alteram mihi honestam, typographo fructuosam, lectori gratam et utilem  
efficere. Oeconomici nullam arbitror editionem prestare Camerarianam, quam  
ego cum mea diligenter contuli. Polybium nunc paro. quo quidem edendo  
nolim te proferare. nam audio quendam Polybij, Procopij, et aliorum  
quorundam fragmenta propediem publicaturum. ea primum videamus  
conseo. Varias lectiones Polybianas omnes abs te non desidero. nam  
in *ἱστορίαις*, que maxime corrupte sunt, et emendatas ego de libris manu  
scriptis, et auctas habeo. In ceteris, si prima pagina duas mihi lacunas  
exemplaris editi complanaueris, gratissimum feceris. Scribis abs te nunc  
Dionysium Halicarn. elaborari. Vide num tuis ego rebus recte sim  
consulturus. Historiam Romanam scriptores Graeci plures vniuersum pene  
complexi sunt. Dionysius, inquam, Polybius, Appianus, Diones, Hero-  
dianus. hos si tu nobis omnes ordine Graecos et Latinos dares, in certos  
tomos digestos, qui licet singuli prodirent, coniungi tamen omnes tam-  
dem possunt; magno tibi beneficio rerum Romanarum studiosos obli-  
gares. Dionysium Latine redditurum habere te dicis. de ceteris videndum.  
Appiani nouam interpretationem nullam scio. Quid si hunc ego tibi cum  
Herodiano tradam? audi amplius. Scis in qua tempora desinat  
is, quem dixi, Herodianus. eorum temporum historiam nulli plerumque  
exceperunt, quam Eunapius et Zosimus. Eunapij fuere libri XIII,  
qui nusquam exstant, ne quidem in Italia: Zosimi sex tantum. Photius  
in bibliotheca narrat, easdem res ab utroque sic tractatas; ut una vi-  
deatur historia. Stilum et *ἱστορίαις* diuersam facit, Eunapiam  
ob prolixitatem *καὶ τροπῶν* frequentiores improbens, Zosimam lau-  
dans, *ὡς ἱστορίων, καὶ ἱερῶν, καὶ ἱατρικῶν, οὐδὲ τοῦ ἠθικοῦ  
ἀποκρίσεων*. Repetit autem Zosimus narrationes (ut dixi)  
rerum gestarum suas ab ijs temporibus, in quibus Herodianus desijt:  
integramque perduxit historiam, usque ad Gothicum urbis excidium;  
et rara pleraque continet, parumque nobis cognita; qui de temporibus  
ijs scriptorum dumtaxat ecclesiasticorum monumenta legimus hactenus.  
Hunc ego tibi manu mea descriptum, diligenterque collatum et emenda-  
tum mitto, ut historiam Romanam annorum CIO CC ab urbis ori-  
gine ad excidium usque continuatam habere possimus: suppeditaturus

etiam conversionem bonam et luculentam, quae dudum parata apud me est.  
Rarum hoc, crede mihi, opus est: quod ~~de~~ aliunde non facile consequare.  
Deest parum in fine primi libri, parum in principio secundi, parum  
in medio quinti, parum demum in fine sexti. quae omnia exspecto ex  
Italia, cuiusdam amici opera, qui admodum secreto custodiri quod-  
dam istic exemplar mihi nuntiavit, cuius ipse copiam sit habiturus.

pro his omnibus

Vides meam erga te voluntatem, qui sane quam honeste tibi tuisque  
rebus cupio: nec compensationem aliam requiro, quam ut officium  
mihi vicissim praestes, quod tibi non admodum graue futurum arbitror.  
Opus est mihi nunc quamdam ad rem aureis numis coronatis sexaginta,  
nec fieri sine damno meo potest, ut eam pecuniam mihi mitti a meis  
tam procul ante mundinas veruas postulem. Quaeso te, da operam, ut hosce coro-  
natos sexaginta per te nunc habeam, ea quidem omnino conditione, ut  
ij tibi proximis Paschalibus aut heic, aut Francofordiae bona fide red-  
dantur: nec cauere tibi eo nomine recuso, traditurus illi chirographum,  
per quem pecuniam obtuleris. Fac tuum heic agnoscam erga me animum.  
dices aliquando officium hoc tibi perpulchre faueratum. Audio te Pho-  
tij bibliothecam habere, de qua vellem ex scriptum de Zosimo titulum  
mitteres. nam mea, quae in fronte Zosimi posita vides, alicubi  
corrupta sunt. Facies item me certiozem, an Herodianum videris  
editionem aliam, quam Basiliensem. Dionysij ~~neē~~ ~~teyuc~~ ~~ptōptkno~~  
cum Antimachianis illis ad me mittito. nullum enim exemplar habeo. vel  
ipse in eo tibi gratificabor, vel alium inueniam, qui reddat. Platonis editio  
tua valde ab omnibus exspectatur. Naageorgus an versionem oratio-  
num Chrysostomi suam recognouerit, nescio. Mortuus est haud procul  
Heidelbergae, nec commodius haec aliunde, quam ex Ursino vel Melisso  
resciueris. Haec ad tuas rescribere prolixius volui. Tu velim officio  
tuo me subleues, simulque veteris illius verbi memineris, quo ~~2~~ ~~geio~~  
~~brado~~ ~~novc~~ ~~ā~~ ~~geje~~ esse dicitur. nam duplo me tibi putabo diuinctio-  
rem, si ultra natalicia proxima rem non distuleris. vale. a. d. vii.  
eid. Decemb. Basilea.

Qui has tibi reddet, ad nos statim  
redibit, itaque peto, ut  
aliquid saltem rescribas.

Lewenklass



D. Henrico Stephano  
typographo primario.

Genova